



Kern 3487  
(1-12)

344

DE

(3)

# ERRORIBVS MENTIS HVMANAЕ,

---

CONSENSV FACVL TATIS MEDICAE,

P R A E S I D E

D. PHILIPP. FRIEDER.

M E C K E L,

MED. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD.,

PHYS. CIRC. SALIC. ET COMIT. MANSFELD.,

DIRECT. INSTIT. CLINIC. CHIRVRG.

P R O

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

D. XVIII. NOV. MDCCXC.

D I S P V T A B I T

IO. FR. AVG. HASSEBERG,

HOHENSTEINENSIS.

---

H A L A E,

T Y P I S H E N D E L I A N I S .



ERRORIBVS  
MUTAMINAE

CONFIRMATORES MEDICAE

PRAESES

D. PHILIPPI HIRSCHER  
HONORIS

PLAUS CIVIUS SAVII ET CIVIUS  
CATHOLICUS

PRO

GRADIA DOCTORIS MEDICINAE

D. XAVII RVM MEDICO

TRADITIONIS

IO. DE VAG. VESSELE

VERGILIANA

11

12

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,  
IOANNI THEOPHILO  
ZENCKER,

MED. DOCT., PROF. PVEL. ORD. CHIRVRG.

ET

MEMBR. COLLEG. MEDICO — CHIRVRG.

BEROLINENS.

D. D. D.

A V C T O R.



ALTO ITALICO LIBRARIA BIBLIOTHECA IMPERIALIS

ОЛІВІА  
СІНЧІЯ

ALTO ITALICO LIBRARIA BIBLIOTHECA IMPERIALIS

ДАУКІС - СІНЧІЯ ОЛІВІА СІНЧІЯ

СІНЧІЯ

А А А

СІНЧІЯ

## I.

**D**e erroribus mentis humanae aliquid conscrip-  
tum deterre plane potuissent ab instituto immorta-  
lis pathologiae sanioris instauratoris, Hieron. Dav.  
GAVBII<sup>1)</sup> verba, animi quippe morbos alienos omni-  
no esse à medici inuestigationibus; nisi idem auctor  
paullo antea ipse, animi vires ad corporis functiones  
praecipue extendi, monstrasset, omnesque auctores in  
eo conuenirent, medicum adeo necessario debere psycho-  
logiae empiricae operam dare, vt, his cognitionibus  
expers, ne vlo quidem modo, morbis ipsis et affecti-  
bus corporeis mederi possit.

Neque tamen a veritate aberrare videntur, qui  
certos quosdam limites definiendos esse statuunt. Nam-  
que, si omnes, nullo excepto, errores animi humani  
medicorum attentionem requirent, allotriis omnino  
fese immiscere, atque mox paedagogos aut morum  
institutores referre, iam longe alienis muneribus  
fungi deberent.

## 2.

Ideoque videtur mihi quidem haec iusta atque  
omnibus numeris absoluta distributio, dum mentis hu-  
manae vires habemus duplices, quarum una posita sit

A 3

in

1) Instit. pathol. medic. § 42.



in ratione, altera in appetitu; illam omnino a medico respici debere, hanc autem minus, nisi voluntatis depravatae fons manifestus fuerit in ratione aut intellectu situs. Medicus e. g. voluntatis morbos neglignet, avaritiam, inuidiam, malitiam, si vel a primis educationis vestigiis adhuc supereste videntur, maxime vero iis debitur, dum ex morbo aliquo intellectus, ex melancholia cet. originem duxerunt.

Neque tamen medicorum est, quoscunque animi affectus cognoscere, dignoscere ac curare, sed ad eos tantum consilia transferre, qui vel ex morbis corporis oriuntur, vel ipsum corpus afficiunt. Sic satuitas atque dementia, phantasiae et intellectus variae laesiones, per se quidem ad medicum non pertinent; simul ac vero cum affectibus corporeis iunguntur, omnino medicorum munus est, caussas et indolem horum animi vitiorum dignoscere, atque iisdem, quantum licet, obviare ire.

## 3.

Hic quidem medici aliam ac philosophi viam incedere solent, dum hi, exemplo CICERONIS, et tot aliorum, ex natura animi ipsa declarare fatagunt indolem et perturbationum animi et errorum intellectus, neque satis in scenam ducere videntur corporis habitum: medici vero nonnunquam solis contenti hypothesibus de encephali structura atque compage, nil aliud videntur demonstrare voluisse, nisi quod anima ipsa sit mo-

lecu-



lecularum crassiorum in vasis encephali congestarum copia: alii vero, animi quidem immortalis praesentiam omnino confitentes, nihilominus mechanico modo explicasse videntur et functiones cerebri in statu sano, et depravationes earumdem in statu morboſo.

4.

His iam expositis patere videtur *cum* finis huius operae, *tum* ratio, qua tractare optarem hoc obiectum. Verum enim vero nil magis doleo, quam eam, qua impediō, temporis breuitatem, arctosque, quibus circumscr̄bitur haec disquisitio, limites: neque exhibere possum, nisi leue quoddam atque haudquaquam satis ratione et experientia confirmatum specimen theoriae huiusmodi vitiorum animi.

5.

Supersedemus merito omnibus, speciosis quidem, sed subtilioribus nostro captu, disquisitionibus philosophorum de natura et indeole innatae nobis substantiae, animi, cum medicos maxime deceat, sola experientia niti, neque iis immitti speculationibus, quae ab experientia sunt alienae. — Mentre humanam esse nil aliud nisi substantiam simplicem, quae in nobis cogitat et vult, simplex quidem mihi videtur atque cuicunque obuia notio rei adeo obscurae, vt ad intimam eius cognitionem minime humano generi speciei penetrare liceat.

Hanc substantiam, vi satis actiuia, neque tamen cum viribus aliis totius vniuersi comparanda, praeditam, actiones suas exferere ope organi sui, corporis, iam a pristinis inde temporibus credebatur. Actiones caeterum intellectus, alterius vis animi, duplarem fontem habere, tum sensus, tum rationem ipsam, seu ratiocinium, licet iam a tota fuerit antiquitate, nonnullis tamen contrariantibus, defensum, nuperorum philosophorum argumentis dilucide expositum videtur.

## 6.

Hoc quidem ac alia eiusdem fere argumenti, magis aliena videntur a medici indagationibus, quam commercium, quod mentem humanam suumque corpus intercedit, quo fit, ut vires suas possit actiuas exferre. — Videtur quoque ad nostrum institutum magis facere eiusmodi disquisitio, dum, vitia mentis a corporis constitutione ac habitu deriuaturi, ad commercium animi et corporis consilium transferimus. Praetermissis enim hypothesibus variis, quas docti viri excogitarunt ad clare demonstrandum modum, quo animus humanus in suum corpus agit, et quo percipit obiecta externa sensuum; nostris maxime temporibus videtur commercium, altis ceteroquin tenebris obuelatum, parum lucis plus obtinuisse, neque tamen eadem adeo clara est, ut nihil supersit adhuc extricandi. Mens enim humana adeo reconditae semper indolis manebit, ut eius naturam plane perspicere fere nunquam posse videamur. Verum enim vero cum hoc unum sapiamus,

simpli-



simplicem esse substantiam, vique pollere maxime actiuam, adeoque potenti, vt in infinitum fere extendatur, atque nulla totius vniuersi vis materialis cum eadem possit comparari; ad vires actiuas corporis insitasque forsan magis iure reducitur haec animi vis, quam ad alias. Nostris praesertim temporibus argumentis sat manifestis euictum est, corpus humanum regi ac moderari viribus insitis, adeo diversis ab aliis omnibus totius vniuersi potentiis, vt neque physicis, neque mechanicis, neque chemicis regulis possint subiici. Hae quidem vires non solum omnibus functionibus corporis praeſunt, sed conseruant quoque illas, atque in morbis auertunt damna corpori inferenda, mortique cauent.

## 7.

Systemati neruoso praesertim insunt vires istae vitales, ideoque in concurſu ac centro systematis neruosi maxime obuiae sunt. Insunt itaque encephalo, et speciatim partibus iis, quae originem neruorum continent. — Hic quidem agunt, aut agere videntur eo modo, vt, motu oscillatorio vltimarum fibrillarum viuarum cerebri excitato, menti humanae afferant imaginem rerum externarum per sensus et neruos occurrentium. Adeſſe itaque videtur transitus naturalis ex partibus corporis vitae maiori gradu expertibus, crassioribus, tela cellulosa tantum conflatis, ad partes neruofas ſubtiliores, ab his ad minimas fibrillas, neruorum origines, in cerebro maxime obuias. Vires eo vegetiores his partibus ſunt, quo magis accedunt ad has vltimas partium

A 5

parti-



particulas, maxime vegetae agunt in his, propiusque accedunt ad mentis humanae naturam. Medium videntur constituere partem inter mentem et corpus suum: nisi quod mens humana motus omnino sit expers, hae autem vires, motu oscillatorio fibrillarum minimarum sese manifestantes, omnis motus corporis humani sint caussae.

His expositis patet, quatenus influxum physicum mentis in corpus et v. v. assumere possim. Congruere enim mihi, si LEIBNITII opinionibus assentiri placet, monades neruae substantiae, quae constituit fibrillas minimas cerebri et originum neruorum, cum mentis monade videntur. Si quoque animi perceptiones nil aliud sunt, nisi mutationes aut actiuitatis quaedam ratio, omnino commercium vtrarumque monadum eo clarius euadit, licet ex prioribus principiis non negetur, multa imo plurima adhuc superesse, quibus ut lucem foenerare possimus, esset sane optandum.

## 8.

Nemo forsitan mihi obiiciet, hac expositione fibrillis cerebri, motibusque earumdem plus iusto tribui, cum physiologia expers plane atque ab omnibus senioribus principiis rudis penitus is mihi videatur, qui cogitationem ipsam fibrillis cerebri adscribere cuperet. Agere enim motusque exercere non possunt hae particellae, nisi adsit mens sibi conscientia in easdem potentiam suam exercens: totoque coelo differre mihi videtur simplex illa

illa atque a viribus corporis pendens repraesentatio (*Vorstellung*) a cognitione ac intuitione animi ipsa (*Erkenntniß*). Illa meris viribus corporis, speciatim fibrillarum sensorii communis, explicatur, consistit motitationibus earumdem fibrillarum, constituit vero id, quod *ideas materiales* nuncuparunt immerito varii philosophi. Haec quidem actio congruit cum actione mentis humanae, neque tamen aliquid explanare potest, quomodo apperceptione ipsa (*Erkenntniß der Seele mit Bewußtseyn*) fiat.

Hinc probe discernere debemus animi vires et actiones ipsas, ab actionibus sensorii communis motibusque fibrillarum. Qui phantasiam, memoriam, cogitationem ipsam ad cerebrum reduxerunt <sup>2)</sup>, omnino, si recte intelligas, rationi non contradicunt. Probabile mihi videtur, ideas nostras omnes, nulla excepta, a rerum nos ambeuntium impressionibus in organa sensuum, ortum ducere; materiem itaque, qua occupatur mens humana, sensorio communi afferri, eiusque operam ad animum perduci. Præterea omnino credo, memoriae et phantasiae maximam forsitan partem ad motitationes istas fibrillarum sensorii communis referri posse, atque ad habitum fibrillarum, motus istos reiterandi, prout voluntas aut ideae animi variae stimuli loco agunt.

2) e. g. Dav. HARTLEY observat. on man and his frame p. 392. — BEATTIE dissert. moral and critical p. 12. 13.

agunt 3). Discernenda enim mihi videtur *memoria* et *reminiscencia* (*Gedächtnis und Erinnerung*). Illa versatur in reiteratione motuum vibratoriorum, qui in fibrillis cerebri fiunt, haec vero in apperceptione mentis, sive in reuocatione idearum pristinarum, mentis ope ipsius. Illa quidem solummodo ab obiectis sensuum externis producitur, hominique cum brutis est communis, neque ideis animi ipsius excitatur: illa viget in insomniis: haec vero humanae menti propria est, neque sine huius influxu formari potest 4).

## 9.

Illa conditio fibrillarum sensorii communis, qua proclives redduntur ad motus suos reiterandos, format itaque memoriam, format quoque associationem idearum eam, quam materialem nuncupare mallem, quaeque in insomniis maxime est conspicua. Quod in insomniis raro aut fere nunquam actiua sit mens ipsa, inde praecipue elucere videtur, quod absint fere semper a nostris insomniis temporis et loci ideae, quae clarari reddere tantum possunt repraesentationem, quaeque proprie ad mentem humanam reduci posse videntur. Simulac vero tempus et locus in insomniis apparent, vna agere incipit animus, neque purum est insomnium. In insomniis videmus multa, pauca audimus, cum imaginatio

3) A B E L über die Quellen menschl. Vorstellungen  
S. 42. — F L A T N E R S neue Anthropologie  
§. 372. etc.

4) L'esprit de B U F F O N C. 17. 18. p. 63.

ginatio et associatio idearum materialium, quae organo auditus ad mentem feruntur, debilior sit in hoc sensu, confusiores sint sensationes <sup>5)</sup>. Insomnia itaque non reminiscentiam, sed memoriam quasi materialem tantum supponunt.

## IO.

Haec hypothesis de motibus fibrillarum cerebri, caussis representationum, et *idearum* sic dictarum *materialium*, atque de conditione fibrillarum, quae aptae redduntur ad reiterandos suos motus, tanquam caussa memoriae, adeo plana videtur mihi, nonnisi probabilia sectanti, ut manifestioribus argumentis declarari fere superfluum apparcat. Plane enim contradicit philosophiae, si vera vestigia in partibus cerebri minimis, aut veras imagines rerum externarum assumas, aut si singulas animi facultates singulis tribus cerebri loculis, qua hypothesi ridiculos fere se exhibuerunt Arabes, eorumque sectatores. De argumentis, quibus euincere hanc theoriam fategerunt varii, dum ad morbos encephali atque vulnera, quibus haec vel illa facultas mentis lae-debatur, respicerent, alio loco sermo erit.

Hic quidem, prius quam vterius progrediar, supprimere nequeo exemplum, quo forsan magis adhuc illustratur associatio materialium representationum. Comparare enim mallem motus fibrillarum cerebri,

5) BERKELEY Eslay towards a new theory of vision  
p. 339. (8. Lond. 1732.)

cerebri, quae facultatibus mentis inferioribus inferunt, cum motibus muscularibus. Quid enim impedit, quomodo confiteamur, eodem fere modo cohaerere fibrillas sensorii communis, quo musculi membra cuiusdam neeunt? — Dum enim e. g. totum brachium eleuamus, vna agunt plures musculi, praesertim vero cucullaris, leuator scapulae, deltoideus, supraspinatus et coracobrachialis, vna cum spinatoribus antibrachii. Aliter quidem eleuatio brachii totius fieri nequit, nisi simul agant omnes hi musculi: imo cum, eleuato brachio, vim quamdam exercere cupimus, flexores digitorum, et, prout vis est, vel extensores vel flexores manus ipsius agunt. Haec actio muscularum vel simultanea vel succedanea perficitur nexu quodam muscularis intercedente, et exempli loco omnino adhiberi posse videtur ad dilucidandam actionem fibrillarum sensorii communis. Est enim is habitus earumdem, ut, dum vna agat, plures simul vel successu temporis, vel simul operentur, atque menti offerant ideam notionemque rei.

## II.

Haec quidem actio fibrillarum sensorii communis vel augeri vel diminui potest, vtrumque ultra modum sanitatis, quod primum facit fundamentum morborum animi. Augentur autem vel plures simul, vel vna altera, ceteris suppressis. Aucti motus fibrillarum cerebri generatim supponunt impressionem fortiorum objectorum externorum: hinc sonitu violen-

tiori,

tiori, aspectu vel valde tetro vel magnopere iucundo, sensatione viuida et tactu acriori grauius affici-  
mur, eorumque memoria facilius reiteratur, quam eo-  
rum, quae leuius sensus nostros percellunt.

Deinde animaduertitur, quo repentius quasi ir-  
ruit in organa nostra sensoria obiectum externum, eo  
maiores producere activitatem fibrillarum sensorii  
communis: fragor, qui tonitru exploditur, longe for-  
tius nos afficit, longeque diutius auditur, quam aliis  
sonus.

Quo magis porro a sensibus ipsis excitatur mor-  
tus fibrillarum, eo viuidior obseruatur: quando a  
mente ipsa producitur, debilior est, nisi participes sint  
sensus, quod saepe ignorat animus aut ignorare affec-  
tat 6). Certum ceteroquin est, quod, quo magis  
cum sensibus cohaereat perceptio, eo viuidior sit, ac  
eo diutius retineatur. Hinc subiecta ipsa facilius  
memoria retinentur, quam verba ac nomina: hinc,  
si notiones generales, quae ex variis ideis materiali-  
bus ab anima ipsa formantur, sciungi possunt et ana-  
lysin subire, facilius seruantur memoria, alias non.

## 12.

A corporis constitutione pendet constitutio par-  
tium singularum: hinc, dum corpus tenerum est ac

irri-

- 6) Religiosi et fanatici viuidius sentiunt, diutiusque re-  
tinent ideas de Dei essentia ipsis insita, de amore  
erga seruatorem, qui amor voluptatis a sensibus  
oriundae plus habet, quam ipsi boni homines  
sibi imaginantur.

irritabile, fibrillae cerebri eadem teneritudine atque irritabilitate laborant. Quo magis tenera est fibra, eo facilius mouetur a stimulo vel leuissimo, eo violentius mouetur a stimulo paullum fortiori. Hinc feminae delicatores, infantes tenelli, homines irritabiliori systemate et delicate structura ad femineam naturam proprius accedentes, a stimulis leuioribus ad graues animi perturbationes incitantur, imaginatione fortiori praediti sunt, et ad sic dictas sensationes subtiliores (*feine Empfindungen, zartes Gefühl*) inclinant. Prout temperamentum et aetas in his hominibus mutantur, euanescit, ipsis inuitis, haec delicatior structura: viri adulti, ad grauiores labores destinati, nonnisi a validioribus stimulis incitantur. — In his hominibus memoria plus minusue labilis est, cum turbulentae magis sint actiones fibrillarum ac nimis cito sibi inuicem succedant, quam ut diutius afferuari possint, et reiterari, occasione data. Ex eadem caussa in morbis aut eorum accessibus, in hypochondriacis praesertim, tum etiam doloribus praealentibus, memoria labilis est.

## 13.

Tensio fibrarum auget earum elasticitatem, auget itaque motum oscillatorium, nisi adsit simul rigitas. Hinc quoque in iis hominibus, qui vel a natura, vel ab educatione tensam hanc fibrarum structuram receperunt, actiuitas fibrillarum cerebri maior obseruatur. Maior obseruatur in affectibus: hae quidem

dem ideae, quae affectibus percipiuntur, viuidius agunt in motum fibrillarum, et is motus diutius seruari faciliusque reiterari potest, dum affectus simul agunt. Sic quoque sensilitas nimis aucta, fibrillarum irritabilitatem adauget: imaginatio vegetior est et memoria viuidior in his subiectis, quae sensilitate pollent.

## 14.

Eodem modo agunt in ideas sic dictas materiales, sive in habitum fibrarum ad motus actiuos reiterandos, ii humores, qui ad corruptionem aut ad acrem indolem proclives sunt. Eodem modo quoque circuitus sanguinis nimis adactus fibras sensorii communis nimis irritabiles reddit, ut imaginatio augeatur, memoria fiat labilis et nonnisi viuidioribus, et sensualibus ideis excitetur. Hinc patet, quantum dominantur in hanc diathesin et clima calidum, et aer purus, et educatio, et consuetudo et vitae genus et aliae innumeræ res, quae corpus alterare valent.

## 15.

Debilitatur autem actio fibrarum cerebri omnibus iis rebus, quae irritabilitatem minuere possunt, velut fibrarum totius corporis inertia, crassitate, rigiditate, laxitate, aquositate, humorum inertia, sensuum et animi actionum torpore ac insensibilitate.

B

Senes



Senes non propensi sunt ad nouas ideas materiales: habitus is, quem semel, in iuniori aetate, receperunt fibrillae, ad motum certum producendum, manet constans, dum fibrillae rigiditatem subierunt: hinc optime reminiscuntur idearum ac rerum, quas iuniori aetate obtinuerunt, subito vero euaneantur ideae, quas prouecta aetate et nuper adipiscuntur. Imaginatio non adeo vegeta est, neque ceterae vires animi inferiores, quae cum motibus fibrarum cerebri congruant. - Eodem prorsus modo se habet temperamentum phlegmaticum, melancholicum ob causas in hoc paragrapho indigitatas.

Saepius mutatio oboritur fibrillarum cerebri, structura eorum subito alteratur, quod in morbis acutis contingit quandoque. Sic memoria earum rerum, quae ante morbum aegro fese offerrent, euanescit, saepius imaginatio tantopere mutatur, ut, antea fere nulla, nunc vegeta sit, siue, antea vegeta, nunc fere euanescat.

Fames debilitat actionem virium omnium, hinc quoque facultatem representatiuam fibrillarum cerebri. Alioquin vero incitat simul actionem, sed, cum simul imbecillem reddat, constantia actionis perit. Hinc religiosi et anachoretae, fame excruciati, ab una in alteram ideam immerguntur: hinc imaginatio adeo viuida et efficax, hinc tot insomnia hominum fanaticorum.

Tem-

Tempeſtas humida, frigida demit irritabilitatem, hinc quoque actionem fibrillarum cerebri debilitat, et facultatem repreſentatiuam minuit.

## 16.

Progedimur ad aliud vitium actionis fibrillarum cerebri, nempe ad sublatum aequilibrium earum, quod quidem constituit plerumque *ideam fixam*, siue statum eum sensorii communis, vbi certa eidem tantum idea inhaeret. Si enim, suppressa actione hac vel illa fibrarum, tantum alia seruatur, aut si singulae fibrillae motu debilitantur, actiones vnius perdurant, ceterae vero euaneſcunt. Praefertim, dum reiterantur continuo eadem ideae, oritur idea fixa, verum initium morbi mentis, praecipue in melancholicis, doctis hominibus, amatoribus, etc. obſeruatum.

Si actiuitas motuum fibrillarum cerebri vltra gradum naturalem augetur, oriuntur ex materialibus ideis phantasiae, ideae materiales sensuum, aut perceptiones sensuum ipsae, quas sibi homo tanquam praesentes imaginatur. Tunc impressiones sensuum haud amplius conscientia homine fiunt, neque amplius agunt in sensorium commune. Hic quidem primus est gradus *delirii* sic dicti *notionalis*. Intenti in unum objectum e. g. religiosi, conficiunt lucem internam, claram, Deum ipsum referentem; omnia objecta sensibus se offerentia vel negligunt, vel percipere plane non videntur. — Singulare videtur illud phaenomenon, quod sensus interni et

externi aequo modo agant in animum, neque adsit sensationum vlla differentia, nisi respectu expressionis. Hinc eadem in his hominibus esse videtur sensatio ipsa cum repraesentatione ex actione fibrillarum cerebri tantum orta. In doctissimis hominibus quoque haec constantia ideae vnius saepius praedominatur, vt stulti penitus appareant. Hieron. CARDANVS, quo nemo stultius sapuisse, nemo sapientius insanuisse dicitur, omnia, quae vellet, sibi imaginabatur, et adeo viuis coloribus tanquam praesentia cogitabat, vt vere videre et audire sibi videretur. Sic Franc. VIET A, algebrae immortalis instaurator, cataleptico fere statu per plures dies manebat, dum problemati aliquo soluendo insudaret. Innumera fere sunt exempla eiusdem argumenti, SWAMMERDAMII, TASSII, HUGENII, PASCALII, qui praeter vnam, alteramue ideam praedominantem assiduo fano iudicio pollebant. Sed de his postea, cum de melancholicis ipsis loquemur.

## 17.

Iam vero experientiam consulamus, vt obseruationes de variarum mentis facultatum vitiis nobis largiatur. Primum vero de memoriae erroribus quaeramus, quid scriptores consignauerint, quo facto facilius applicari poterint haec facta ad nostram theoriam.

Memoriam voco, si artu amputato, sensus doloris adhuc in amputato membro percipitur: namque remanent sensationum vestigia, id est, habitus ad reiteran-

terandos suos motus oscillatorios in fibrillis sensorii communis, licet perierit membrum ipsum. Innumeris obseruarunt, hunc sensum retineri, praec aliis PARAEVS 7), Fabric. HILDANVS 8), ACRELLIVS 9): in quibus casibus ad consuetudinem quidem respicere mihi non placet: meo arbitrio melius declarari potest ex antegressa hypothesi. Quid quod varii perceperint flexionem detruncati artus 10), ut certe ad remanentem habitum fibrillarum cerebri, motus suos repraesentatiuos reiterandi, respicere debeamus.

## I8.

Pertinent hoc exempla hominum, qui per morbos et capitis laesiones memoriam aut insigniter laefactatam experti sunt, aut omnino amiserunt. Declaratur autem hoc phaenomenon ex §. 15., vbi mutatio subitanea structurae cerebri, quae vel per morbos vel per capitis laesiones oboritur, tanquam causa euanescentium motuum aut habituum, qui in fibrillis cerebri resident, ad motus certos reiterandos arguebatur.

Notum est exemplum aegrotorum, qui peste famosa illa Attica correpti fuerant, superato morbo,

B. 3.

memo-

7) Des playes d'arquebusade p. 67.

8) Cent. III. obs. 13. 14.

9) Utförliga förklaring om friska fors egenskap  
p. 295.

10) RYSCHE aduers. anat. p. 14. Ep. X.

memoriam penitus amittentium 11). — A plethora obliuiscientia omnium cum mutila et peruerfa dictione, tanquam insultus apoplecticus, consideranda videtur 12). — A faburra biliosa, quae periodis recurret, memoriae suppressionem vedit Ant. BENIVENIUS 13). Talem periodicam vicissitudinem amnesiae, ex plethora aut faburra certe oriundam, GALLI 14) et HALLERVS 15) obseruabant: — ex suppressis haemorrhoidibus vel lochiis non rara est amnesiae obseruatio 16). — A retrogressa arthritide, aut dysarthritide sic dicta, orta obliuio haut difficulter explicatur ex nostra theoria: restituebatur sanitas per roborantia antarthritica 17). A scorbuto ortam amnesiam vedit Seuer. EVGALENVS 18).

Post morbos acutos remanere rerum obliuionem praesertim earum, quae morbo praesente siebant, haud rara est obseruatio, in primis post febrem catarrhalēm

11) THVCYPID. Hist. bell. peloponnes. Lib. II. c. 49.  
p. 330. (ed. BAVER 4. Lips. 1790.)

12) MORITZ Magaz. zur Erfahrungsseelenkunde,  
IV. B. III. St. S. 23.

13) De abditis morborum caussis, c. 47. (8. Basil. 1582.)

14) Iourn. de Trevoux. 1711. Iuin.

15) Element. physiol. T. V. p. 150.

16) ZACVT. Lusit. Prax. admir. Lib. I. obs. 46. SALMVT. Lib. I. obs. 72.

17) Eph. nat. cur. Dec. I. ann. 3. obs. 198.

18) De scorbuto n. 49. (ed. Ien. 1724 8.)

lem 19). — Huc quoque pertinent exempla, vbi apoplexia vel sanguinea 20), vel serosa colluuie orta 21) animi vitium hoc produxit, et variis pedum tumoribus aut fluxu ventris ab eo malo aegroti liberaabantur 22). — Post cephalaeam grauiorem superfuit hic memoriae defectus 23), vt et patriam et cognatos obliuiscerentur aegri.

## 19.

A capitis laesionibus, a lapsu, a vulnere eiusmodi vitium oriri, haud infrequens est animaduersio, quae facilius explicatur nostra theoria. Observatum tamen dignum est, quandoquo vulnere excitato memoriam vigere, praepostere vero fanatico perditam ire, nec recuperari, nisi renouato vulnere 24).

Varii quoque sunt diaetae errores, qui attrahe-re hunc mentis morbum possunt. — Qui memoria praestanti, praeditus fuerat ad xxx anaum vino abstine-

## B 4

mius,

19) HARDER apiar. obs. 122. Hist. de l'acad. des scienc. à Paris. 1754. p. 514.

20) WEPFER de morb. capit. obs. 67. 109. EBERHARDS (I. P.) Vorlesungen p. 902.

21) Philos. Transact. n. 185.

22) SWIETEN Comment. in BOERHAAV. aphorism. T. III. p. 373.

23) SALMVTH. Lib. II. obs. 41. Hist. de l'ac. des scienc. à Paris. 1711. p. 27.

24) Giornale de' letterati. T. XVIII. p. 64.

mius, multum amisit memoriae, cum vino coepisset  
vti 25). — Tetrum illud scelus, nostris temporibus,  
eheu, maxime commune, quod ejaculatione feminis  
praeter naturam committitur, memoriam magnopere  
debilitat et saepius penitus delet 26). — Sic aestus  
nimius agit in memoriam. Incolae zonae torridae  
ingenio et praesertim imaginatione feruida pollut,  
memoria autem non constans obseruatur 27). Nostro  
praesertim climate aestus insolitus agit in memoriam  
debilitando: neque rediit memoria, nisi mitigato coe-  
li aestu 28).

## 20.

Ex §. II. patet, iis praesertim ideis, quae sub  
sensu cadunt, memoriam excitari ac seruari. Hinc  
non mirum est, qui signis non vtantur, memoria fere  
carere, velut infantes inter bestias educati 29). Hinc  
quoque primo obliuiscuntur aegroti substantia et no-  
mina appellativa, quia arbitraria sunt, neque aliquid  
sensualis habent 30). Hinc id studiorum genus praes-  
er-

25) I. H. SCHVLZE de gran. kerm. p. 28.

26) TISSOT de l'onanism. p. 32.

27) FALCONER Bemerkungen über den Einfluss des  
Himmelsstriches etc. B. I. Hauptst. XIV. Abschn. I.  
p. 71. — LEBRVN travels Vol. IV. p. 92.

28) Hist. de l'acad. des Scienc. 1705. p. 58.

29) CONDORCET recherches philosophiques sur  
l'homme et sur les animaux. p. 75. — Bern.  
O'CONNOR hist. of Poland, T. I. p. 342.

30) BOERHAAV. morb. nerv. p. 697.

sertim memoria seruant, quod ipsis maxime fuerat familiare, aut quod in prima iuuentute didicerant, vbi sensibus magis gratum redderetur: sic explicatur exemplum philologi, qui, amnesia correptus, omnes reliquas linguas oblitus erat, sola Hebraica excepta 31): sic quoque hominis, qui vocum ex morbo memoriam amiserat, musices tantum peritiam retinuit 32).

In his quidem aliisque casibus omnino quoque ad certarum fibrillarum motum suppressum, ceterarum superstite, conuertere nos possumus: quae hypothesis cum nostra hoc paragraphe signata theoria congruit: eae enim ideae materiales, quae ob gratitudinem aut consuetudinem saepius exercebantur, facilius seruantur, quam aliae.

## 21.

Nonnunquam vero hic habitus fibrillarum ad motus suos pristinos reiterandos adeo deletur, vt eruditii omnem literarum facultatem perderent 33), vt artes suas et propria inuenta, imo propria nomina obliuiscerentur 34): vt sonorum formationem et loquendi

B 5

deni-

31) ABEL Quellen menschlicher Vorstellungen, S. 207.

32) HAMBERGER institut. physiolog. p. 572.

33) CAEL. AVRELIAN. chron. Lib. I. c. 15. CAR-  
DAN. de subtil. Lib. XVI. p. 515.

34) TULP. Observ. Lib. IV, obsl. 15. Henr. ab HEERS  
observ. 131.

denique facultatem penitus amitterent 35): ut nec famem nec sitim sentirent 36).

Hic quidem summus videtur gradus amnesiae, si et proprium nomen obliuiscuntur et famis sitisque haud amplius consciit sunt aegri. Sed supereft adhuc, vt peculiare quoddam vitium memoriae explicemus, quod consistit in suppressis motibus fibrillarum cerebri per aliquod tempus, sive hoc fiat spasmo earum, quem omnino in tam irritabilibus particellis assumere licet, sive alia adhuc ignota cauſa quae, internos animi sensus (vt ita me exprimam) vegetos reddens, facultatem representatiuam ipsam supprimit. Sic apoplexia et lipothymia statum animae per plures saepe horas, imo dies 37), inertem relinquit, post quem mens, quasi nil interea secum actum fuisse, neque intercessisset temporis intervallum, denuo euigilat. Noctambuli eorum, quae interim gesserunt, nullam memoriam retinent 38). — MARQVETVS, cum XXI. dies in delirio transegisset, convalescens, vix 24 horarum morbum fuisse sibi persuasit. Reliqua vestigia morbus quasi destruxerat 39).

Memo-

35) Hist. de l'acad. des scienc. à Paris 1711. p. 27.

36) FISCHER de senio p. 67.

37) Per sex mensium spatium. Hist. de l'acad. des scienc. à Paris. 1719. p. 225.

38) NICOLAI von der Einbildungskraft, S. 96.

39) Observ. p. 193.

Memoratu digni sane sunt ad hunc finem obseruationes catalepticorum, qui sermonem per morbi paroxysmum interceptum eodem loco continuant, quo interceptus fuerat. Exstant omnino multa exempla, quae, conscientiam obiectorum extenorum perdurare in catalepticis paroxysmis, demonstrant. Interea tamen plurima satis manifestant, sensus omnes tolli, ipsamque imaginationem tantum vigere: quod fit in fanaticis plurimis, qui ἐνθεσιαζομένοι ineffabilia verba audiunt, neque sentiunt ea, quae eosdem circumstant, neque ante actorum recordantur 40).

## 22.

Cum memoriae defectus princeps fuerat vitium aegri, varium crani et cerebri statum praeternaturale animaduerterunt medici. Neque enim sibi sumserit quisquam, determinare, num hae crani ac cerebri laesiones verae fuerint amnesiae aut aliorum mentis vitiorum caussae, quippe quae nonnunquam mortis, saltim morbi effectus sint habendae, quam caussae ipsae morbifcae. Verum enim vero, cum simul adfuerint hae capitum laesiones et obliuio, aliiquid inde ex hoc peculiari nexus concludere, quid vetat? — In senibus, memoria destitutis, cerebrum minui amplitudine, imo saepius consumi, obseruauit iam Dav. HARTLEYVS 41); cerebrum

40) Fr. HOFFMANN apud NICOLAI Pathologie B. III. p. 215. HIRSCHEL von der Katalepsie, 1769. 8.

41) Observ. on man and his frame p. 392.

brum siccissimum, durum, friabile, luteum vidit Henr. AB HEERS 42): sanguinem fluidum in ventriculis cerebri redundare, qui et ventriculos ipsos eroserat, vidit in vetula obliuiosa MORGAGNIUS 43): pintam aquae inter meninges obseruarunt Angli 44), hydatides in plexu chorioideo WEPFERS 45): calculum quendam in glandula pineali paradoxus homo, sed bonus obseruator CONTULI 46).

## 23.

Quod superiores sic dictas mentis facultates attinet, quae quidem ipsa nobis insitae substantiae vi exseruntur, absque inferioribns, *sensatione* quippe, *imaginatione* et *memoria* consistere nequeunt: attamen obiectis harum facultatum tantum vtuntur ad formandos suos actus. Huc pertinet *attentio*, siue actio ea animi, quae clariorem reddit ideam vnam prae ceteris, quas simul sentimus: *intellectus*, siue facultas, ideas claras ac distinctas reddendi: *ingenium*, siue vis, similitudines rerum facile appercipiendi: *ratio* denique ipsa, siue facultas mentis, veritatum generalium nexum clare percipiendi.

42) Observ. med. III. p. 45.

43) De sedibus et cauiss. morb. Ep. II. 13.

44) Philos. Transact. n. 185.

45) De morb. capit. obs. 96.

46) De lapidibus podagra et chiragra in corpore productis p. 42. (4. Rom. 1697.)

Cum nequeant hae quidem vires animi actiones suas rite exercere, nisi dum adsint obiecta externa, nisi que eadem sentiat ac percipiat mens: patet, generalioribus legibus facultatum animi inferiorum has quoque subiectas esse. — Hinc frequentia sunt exempla, vbi vegetoribus sensibus nectitur facultas ingenii summa, vbi iis omnino omnibus augetur intellectus perspicacia, quae sensuum actiuitatem et facultatem repraesentativam accidunt. Sic febris acuta dat idearum fecunditatem et eloquentiam, vt, quae per totam vitam perspicere nequibant, statu febrili clare cernerent aegri 47). — Attentio quoque morbis augetur: melancholici multi fuerunt illustres inuentores. Testes allego tantum SWAMMERDAMIVM, HVGENIVM, TASSVM, vt alios transeam. — Ingenium acquisiuit MABILLON a morbo 48): alius per ictum in cranium 49): alia per hystericas passiones 50). Quando morbi vis cessauit, recidunt in pristinum statum 51), quod praesertim in stupidis accidit, qui in acme febris ingeniosa et acute loquerentur, vt tamen post febrem iterum stupidi homines essent.

47) Ioh. CHIFFLET pulvis febrifugus orbis americanus.  
(4. Lovan. 1653.) p. 20.

48) Et. BONNOT DE CONDILLAC essai sur la source des connaissances humaines p. 110.

49) Nic. ROBINSON new treatise of the spleen p. 70.

50) Ant. LE CAMUS médecine de l'esprit. T. II. p. 20.

51) CHARDIN voyage en Perse. T. IV. p. 204.

## 24.

His iam patere videtur, non requiri semper ad intellectus et ingenii vigorem robur corporis aut sensuum, sed apta tantum irritabilitas aut sensititas adiecta, quae morbosā quoque esse potest. Cum valetudine enim debili acerrimum ingenium congruere, antiqua est obseruatio, quae in rhachiticis et gibbosis maxime confirmatur §2). In his quoque ob magna plerumque capita activitas fibrillarum cerebri multo validior esse debet, quam in iis hominibus, qui minorā habent capita.

## 25.

Defectus ingenii et intellectus nominatur *fatuitas, amentia* (*Aberwitz, Dummheit: Etiose, Niaiserie.*) Haec quidem supponit generatim impotentiam animi, clare percipiendi ideas: fere semper iungitur cum sensuum torpore aut saltim minori activitate. Ideoque in senibus non rara est, qui ad infantilem statum tali modo redeunt §3). A somno nimio non raro §4): a quiete nimia per 12 annos affectata eadem fatuitas obseruata est §5).

Cum

§2) CHEYNE english malady p. 104. — DUVERNEY maladie des os. T. II. p. 290. — GLISSON. de rachitide c. 2. p. 14. — ANDRY orthopédie. T. II. p. 6.

§3) FISCHER de senio p. 67. ROBINSON of the spleen p. 83.

§4) BOERHAAV. de morb. nerv. p. 590.

§5) Gentlem. Magaz. 1751, Iun.

Cum aeterna et perpetua lex sit naturae, quod actionem nimis viuidam sequi semper debeat relaxatio et inertia eo maior, quo magis incitabatur vis actiua; eruditii varii viri, laboribus animi nimis intensi, adeo denique debilitati apparuerunt, vt fatuos fere referrent 56). Saepius sequitur amentia morbos grauiores neruosi systematis 57), velut epilepsiam 58), raphaniam 59), maniam 60), apoplexiā. — Puerperae sanguinis plurimam partem perdentes, fatuae fiunt, cum stimulus naturalis sanguinis deficiat, qui actiuitatem sensiori communis excitare valet 61). Circuitus humorum debilitatus fatuitatem generatim producere potest, cum hac functione praecipue functiones animales vegetae seruentur 62). — Ex colica pictonum obseruata est fatuitas, quae neruosis affectibus quam maxime est conspicua 63). Ex manustupratione nostris quidem temporibus adeo communis est fatuitas, vt fere quemcunque medicum doceat sua experientia. Sic quoque ex verminosa saburra 64), ex fordibus primarum viarum aceroribus 65), aut atrabilariis.

26.

56) SWIETEN Comment. in BOERHAAV. aphor.  
T. II. p. 265.

57) PERFECT's Fälle vom Wahnsinn obs. 16. p. 81.

58) SWIETEN l. c. T. III. p. 397.

59) FORST. de sensibus internis p. 56.

60) HELMONT. homo et morb. p. 33.

61) TITSINGH Diana ontdeckt. p. 583.

62) BATTIE on madness p. 52.

63) Journ. de médec. Nov. 1761. p. 317.

64) WHYTT's praktische Schriften S. 384.

65) Ephem. nat. curios. Dec. II. ann. 6. obs. 18.

Eorum hominum, qui amentia laborauerant, post mortem sectio fere semper aliquid monstrauit, quod praeter naturam in cerebro existeret. Sic frequens est obseruatio, serofam colluuiem extitisse in encephalo, vel hydatides, vel verum hydrocephalum <sup>66</sup>. Calculos in ventriculis cerebri, vel in plexu chorioideo, vel in sinubus deprehendi, non rara est obseruatio <sup>67</sup>). Osseam naturam glandulae pinealis et tumores scirrhosos varios DVVERNEYVS <sup>68</sup>): cerebrum siccissimum <sup>69</sup>) aut flaccidum et molle LANCISIVS <sup>70</sup>) et BONNETVS <sup>71</sup>) in iis viderunt, qui amentia per vitam laborauerant.

Malam capitidis configurationem, ut cranium primeretur, tanquam cauissam principem fatuitatis, obseruarunt Petr. BARRERIVS <sup>72</sup>) et FABRICIVS HILDANVS <sup>73</sup>). Peculiarem vero capitidis et vertebrarum

66) WEFFER de apoplexia c. 4. — FABR. HILD. obs. 10. c. 4.

67) KERKRING spicileg. anatom. obs. 36. — Ephem. nat. cur. Dec. II. ann. 1. obs. 26. — MECKEL. Mém. de l'ac. des scienc. à Berlin T. X. p. 93.

68) Mémoir, avant 1699. P. II. p. 25.

69) MORGAGNI de sedib. et cauiss. morb. ep. VIII.

70) De sede cogitantis animae. Opp. T. II. p. 315.

71) Lib. X. obs. 2. §. 6.

72) Diverses observations anatomiques p. 241.

73) Cent. III. obs. 21.

brarum colli formationem nuper obseruauit in cretinis,  
omnium hominum maxime fatuis, MALACAR-  
NIVS 74) cum ACKERMANN 75), quem legere ne-  
minem poenitebit.

Ceterum certa est obseruatio, fatuos diu viue-  
re 76); hominesque eo pinguiores esse, quo magis ad  
fatuitatem proclives sint 77). Neque mirum: cum ir-  
ritabilitas eo facilius perditum eat, quo aquosiores,  
pinguiores sunt partes.

## 27.

Iam vero ad iudicii sive rationis ipsius alienatio-  
nes progredimur. Hae quidem in eo consistunt, quod  
mens, quae recte obiecta externa percipit, falso ex  
illis iudicat. — Ideoque *ideale* sic dictum *delirium*  
ARNOLDI 78) ad hoc vitium pertinere non censeo:  
quod proprie sub hallucinationum nomine complecti  
cuperem. — Altera vero auctoris laudati species,  
quam *notionalem* dicit, cum imaginationis peruersitate  
plerumque consistit. — Ex §. 17. patet, phantasiam  
aequo modo claras ideas posse generare quam sensatio-  
nem

74) FRANK Delect. opusc. T. I. p. 100.

75) Ueber die Kretinen. 8. Gotha. 1790.

76) BACO VERVLAM. hist. vit. et mort. p. 155.

77) Georg. BAKER de affect. animi. p. 20. (4. Can-  
tabr. 1755.)

78) Ueber die Natur des Wahnsinns. Th. I. (3. Leipzig.  
1784.)

nem ipsam, vt saepe discerni nequeant. Hinc error non quaerendus videtur in sensibus sed in sensorio communis.

## 28.

Delirium est vel febre iunctum vel absque febre: illud ideis viuidis, ferocitate, loquela temeraria, hallucinationibus sensuum grauioribus stipatur: hoc vero muscularum rigiditate, robore insigni, insensibilitate, plerumque torpore, deinde fixa illa idea est conspicuum, quae omnes animi vires sola occupat. — Quanta in hoc morbo sit imaginationis potestas, ex innumeris exemplis, praesertim vero ex iis elucet, vbi mors ipsa ex imaginatione vera sequebatur 79).

Haereditatis iure hunc cerebri statum posse ex parentibus in infantes propagari, antiqua est obseratio, I G R E D I N G I T 80) maxime experientia confirmata: ut nesciam, quomodo possit MEDICVS 81) tueri opinionem contrariam. Haereditaria quidem dispositio per se nullum morbum producere potest; quodsi autem valida est, requirit tantum minorem, vel leuissimam caussam occasionalem, vt morbus prodeat. — Dispositionem ad singulos morbos non quaero in fluidis partibus,

79) MORITZ Magaz. zur Erfahrungs - Seelenkunde.  
V. B. I. St. S. 63.

80) Vermischte medic. und chirurg. Schriften S. 43.  
55. 73.

81) Sammlung von Beobachtungen B, II, S. 743.

bus, sed in staminibus solidorum, aut in structura eorum.

Singularis omnino est obseruatio delirii chronicus ex consensu solo deriuandi, quam signauit MICHAE-LIS 82), quod nempe in epidemia quadam per Hassiam grassante nouem aegri simul, dua capita singuli, se habere crederent.

## 29.

Reliquae quidem caussae delirii chronicus resident vel in corpore vel in mente. Has quidem ordine tractare superfluum puto, cum prae aliis ARNOLDVS laudatus hoc iam abundanter fecerit. Corporis autem status variis, quibus functiones mentis adeo possunt laedi, ut delirium chronicum sequatur, sunt sequentes:

1. *Plethora.* Sic oritur ex suppressis lochiis, catameniis, haemorrhoidibus: his restitutis tollitur. Apud ALEXANDRVM TRALLIANVM 83), PAVLLVM AEGINETAM 84), AVENBRVGGERVM 85), PERFECTVM 86) extant plura eius caussae exempla. Caussa formalis ubique fere peperdit ab affectibus prae-

C 2 gressis,

82) Medic. prakt. Bibl. St. I. p. 114. 118.

83) Lib. I. c. 17. p. 100.

84) Lib. III. c. 14.

85) Von der stillen Wuth. S. 33. 41.

86) Fälle vom Wahnsinn 3. S. 18. — 6. S. 38. —

10. S. 55. — 35. S. 184.

gressis, aut ea sensorii communis irritabilitate, vt subire hunc mentis morbum facile aeger possit.

2. *Sordes* primarum viarum, vel biliosae 87), vel pituitosae 88), vel bilioso-putridae 89), vel vermino-sae 90). Quam valide agant fordes in sistema neruoso, cuilibet patet, qui per aliquod tempus praxin exercuit. Ex eadem caussa subitanea victus ac diaetae mutatio producit melancholiam et maniam, quod **P E R F E C T U S** 91) obseruauit.

3. *Refrigerium* violentum, quo fit vt, caussa praesente formalis, materies transpirabilis sensorium communis adgrediatur 92). Huc pertinet quoque obseruatio de exanthematibus retrogressis, tanquam caussa delirii chronicis 93): huc quoque obseruatio de alternante ptyalismo cum delirio periodico 94).

#### 4. *De-*

87) PAVLL. AEGIN. Lib. III. c. 19. — SCHENCK  
obs. p. 135. 369. — FOREST. Lib. X. obs. I.

88) WAGLER diss. de morbo mucoso p. 35. —  
KAEMPF von den Krankheiten des Unterleibes.  
p. 200.

89) FINKE de morbis biliosis anomalis p. 150. 161.

90) SCHMVCKERS chirurg. Schrift. Th. II. S. 49.

91) l. c. 9. S. 49.

92) PERFECT l. c. 24. S. 121.

93) LORRY de melanchol. T. I. p. 191. — MVZEL'S  
Beobacht. Th. II. K. 14. — PERFECT l. c. 27.  
S. 134.

94) HAEN praelect. pathol. T. II. p. 318. — PERFECT  
l. c. 2. p. 12.

4. *Debilitas irritabilis*, quae a morbis praegressis acutis 95), vel neurosis, a studiis nimis intensis 96), a religione austera 97), ab affectibus lentis, prostrantibus oriri obseruatur frequentissime.

5. *Infarctus atrabilarii* adeo frequentes sunt causiae delirii chronici, ut ab iis solis deducerent veteres hoc genus animi morborum, atque hodie fere semper obser-  
vetur in iis, quibus vel congenita est melancholia, vel occasionibus vulgaribus contrahitur. — *Arthritidem anomalam*, quae non raro ex hoc caussarum genere se-  
quitur, aut saltim cum eodem iungitur, pluries pro-  
duxisse maniam aut melancholiā, MVS GRAVII 98) aliorumque fida est obseruatio.

6. Variae *cachexiae* hoc animi vitium saepius secum ducunt, sicut scorbutus 99), plica polonica 100), lues venerea 101). — Sic quoque lacteae metastases accu-  
santur saepius non immerito 102).

30.

95) SARCONE storia ragionata delle malatie §. 587. —

PERFECT I. c. 38. p. 202. — 39. p. 207.

96) PERFECT. I. c. II. p. 60. — 42. p. 218.

97) FAWCETT über religiöse Melancholie. 1785. 8. —

ZIMMERMANN von der Einstamkeit, variis lo-

cis. PERFECT. I. c. 23. p. 116. BLVMEN-

BACH medic. Biblioth. Th. II. St. I. S. 163.

98) De arthrit. anom. c. 7.

99) LIND on the scurvy p. 165.

100) Fr. HOFFMANN de delirio p. 263.

101) Nou. act. nat. cur. T. I. p. 346. — PERFECT  
var. loc. —

102) PYZOS trait. des accouch. p. 234.

Iam superest, ut et eas colligamus obseruationes, quae in cadaueribus eorum, qui chronicō delirio labauerant, institutae sunt. — Quandoque quidem vitium villum haud aderat, neque aliquid ad naturam morbi faciens inueniri poterat <sup>103)</sup>. Nonnunquam vero manifestus erat status cerebri praeternaturalis; alias, remotis partibus, obseruabatur aliquid, quod morbo ortum dare poterat.

Inflammationem cerebri aut saltim menyngum assumerunt, tanquam cauſsam principem delirii, praefertim febrilis. MORGAGNII <sup>104)</sup> vero, MEIBOMII <sup>105)</sup>, BRENDELII <sup>106)</sup>, SCHROEDERI <sup>107)</sup> aliorumque disquisitionibus satis euictum est, *tum* ratram esse eiusmodi inflammationem, *tum* plerumque delirium febrile absque eadem gigni.

In glandula pineali omnino fere semper arenulae aut calculi parui obseruabantur: determinarunt autem iamdiu medici experti, in tot cadaueribus deprehendi eiusmodi indolem glandulae, vt fere ad statum naturalē pertinere videatur <sup>108)</sup>.

Malam

<sup>103)</sup> HOME clinical facts and experiments. p. 53.  
Exp. XVI.

<sup>104)</sup> De sedib. et causā. morb. Ep. VII. 8.

<sup>105)</sup> Exerc. de observ. rar. coroll. 4.

<sup>106)</sup> Opp. P. III. p. 189.

<sup>107)</sup> Opp. T. II. p. 219.

<sup>108)</sup> BIEMERBROEK anat. lib. III. c. 6. SANTORINI obs. anat. c. 3. n. 8. MORGAGNI l. c. ep. VIII. 16.

Malam cranii configurationem in his casibus praeter MORGAGNVM <sup>109)</sup> viderunt Petropolitani <sup>110)</sup>.

— Cerebrum durum ac friabile fuisse, obseruatio adeo vulgaris est, vt vbique deprehendatur <sup>111)</sup>. — Dura in primis meninx crassior, vt fere cartilagineae esset naturae <sup>112)</sup>.

Serum limpidum effusum intra meninges aut ventriculos cerebri, sensorium commune comprimens <sup>113)</sup>: sic quoque hydatides frequenter apud ipsum MORGAGNIVM accusantur in delirio excitato chronicō.

Distenta vasā cerebri sanguine, vt et, relaxatione per mortem orta, punctulorum specie sanguis transfudauerit <sup>114)</sup>, ad frequentissimos casus pertinent.

### 31.

Rariores sunt obseruationes de coalitione menin-gum inter se et cum cerebro <sup>115)</sup>, de squammis ossis in cerebrum depressis <sup>116)</sup>, de scirrhis cerebelli <sup>117)</sup>, de ulceribus saniosis in cerebro <sup>118)</sup> etc.

<sup>109)</sup> Ep. I. 14.

<sup>110)</sup> Comment. Petropolit. T. VII. p. 222.

<sup>111)</sup> BOERHAAVE aphorism. §. 1121. SANTORINI obf. c. 3. n. 6. MORGAGNI ep. VIII.

<sup>112)</sup> MORGAGNI. ep. I. 2. 14. ep. LII. 6.

<sup>113)</sup> MOEGLING. Ephem. nat. curios. Cent. VI. 22.

MORGAGNI ep. I. 2. 4. IV. 30. VI. 2. VIII. 4.  
XXXV. 16.

<sup>114)</sup> HOYER. Act. nat. cur. Vol. VI. obf. 39. — SWIETEN Comiment. ad BOERH. aphor. §. 1010. —

MORGAGNI ep. VIII.

<sup>115)</sup> MORGAGNI ep. I. 14.

<sup>116)</sup> L. F. MANNE obseruations de chirurgie p. 122.

<sup>117)</sup> MORGAGNI ep. LXII. 15.

<sup>118)</sup> ID. ep. IV. 2. 4.

---

## T H E S E S.

---

### I.

Nulli dantur in corpore humano pori inorganici.

### II.

Non omnes morbi epidemici sunt contagiosi et vice versa.

### III.

Indicatio symptomatica et vitalis minime in therapia est reiicienda.

### IV.

Virus blennorrhoeae plerumque idem est, quod virus venereum.

### V.

Pus non semper in abscessu ipso, modo quam maxime locali, generatur.

### VI.

Divisio febrium secundum earum caussas medico practico utilissima videtur.

---

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>R</sup>ALIS MEDICA  
DE  
COCTIONE PROMOVENDA  
SORDIUM BILIOSARUM  
GASTRICARUMQUE.

---

Concocta movere ac purgare oportet; non cruda,  
*Hippocrates Sest. I, Aphor. XXII.*

---

DISTRIBUTIO IMPENDITU MEDIKA  
GEOGRAPHICAE PROMOVENTI  
COPIDIA M. R. MILIOS ARUM  
CATRIGAEL MONE

Commissarij leesbare op drieën tien honderd pagina's  
Vervolgheden tot de tweede deel

no 18

PICA



D E

(3)

# ERRORIBVS MENTIS HVMANAЕ,

